



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Conciones R.P. Ludovici Bourdaloue è Societate Jesu**

Habitaë per Adventum Coram Christianissimo Rege Ludovico XIV.

**Bourdaloue, Louis**

**Augustae Vindel. & Dilingae, 1716**

**VD18 80038840**

In Dominica Quarta Adventus Concio. De Pœnitentiæ severitate.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68973)



remissionem, quibus constrictus quisquis tenebatur, singularis Christi redemptionis beneficium participare non poterat. Ad postremum hoc, via & aditus erat pœnitentia, semper dicta à Christianis, Baptismus alter, ut Baptismus ipse à Priscis Patribus prima pœnitentia est nuncupatus. Inde est, quòd divinus ille Christi præco, tanto animi ardore, de pœnitentiæ Baptismo sermonem habet; & quoniam instat solennis illa dies, qua Christi Domini celebrare nos oportet, Natalitium & Adventum, quem populis suis annuntiabat sanctissimus ipsius præcursor, idem mihi concionis tractandum venit argumentum. Baptismi huius, sive Christianæ pœnitentiæ, de qua apud vos verba sum facturus, proprium hoc est, quemadmodum docent omnes Ecclesiæ doctores, ut severius in sese peccator animadvertat. In eo enim, inquit Pacianus Episcopus Barcinonensis, à primo baptismo pœnitentia potissimum differt. Argumentum grave, res scitu per necessaria, quam ne vobis perire sinatis, vehementer oro quæropue. Nihil magis vulgare, & mirum videri debet, quam reperire, qui ea etiam ipsa, quæ volentes arctè strinxerunt, pœnitentiæ vincula sensim laxent. Funestum hoc mali genus hodie impugnare aggredior, Auditores  
Chri-

Christiani, & quâ possum compescere, si prius tamen, B. Virginis interventu, cœlestem opem imploravero. *Ave Maria.*

**N**ON hodie primùm exorta in Ecclesiâ sunt disceptationes circa pœnitentiâ severitatem, prout ad Sacerdotes attinet, quos DEUS sacramenti hujus dispensatores instituit & ministros. Celebratissima est Annalium monumentis Novatianos inter & sectam illis contrariam eâ de re orta concertatio. Contendebant alij, facinorosos quosvis homines indiscriminatim, alij nullos prorsus ad pœnitentiam esse admittendos. Pœnitentiam corrumpebant illi nimiam indulgentiam; usum illius omnem abolebant hi nimiam severitate. Ecclesia, Sancti Spiritus instinctu, mediam, ut solet, inter utrumque viam iniit, tale temperamentum sequuta, ut aliorum immodico rigore mitigando, nimiam aliorum indulgentiam emendatâ, pœnitentiam, aut potius pœnitentiâ administrationem, ad præscriptos à summo sacerdote Christo fines, revocaret.

Gravissima illa quaestio tanto partium studio tunc agitata, singulis ferme seculis renovata est; quin & ipsam hac ætate nostrâ excitari vidimus, non iisdem quidem animorum motibus, nec tam funesto, (quod DEUS avertat) exitu, sed eadem

ramen sententiarum ac disciplinæ diversitate. Alij severitatis partes amplexi sunt, sed immoderata. Placuit alijs mitior agendi ratio, sed quæ penitentia ministro periculosa æquè sit nonnunquam, ac penitentiam ipsam obeunti.

Non is sum, Auditores, qui in hanc controversiam hoc loco ingredi velim, iudiciumque meum interponere eâ super re, quæ & ad vos propriè non attinet, & nullam esset utilitatem allatura. Etenim vestra non permagni scire interest, quam rationem & modum tenere Sacerdotes debeant in penitentia tribunali, dum ignoratis vos ipsi, quo eam pacto agere debeatis. Adde quod experientia didicimus, controversias id genus agitaras è pulpito, & multitudinis iudicio subjectas, fructum alium nullum habere, quàm ut contrarias in partes animi distrahantur, & ut plebs, quæ à Sacerdotibus est iudicanda, Sacerdotum Iudex ipsa existat. Eò enim sæpe res evadit.

De Sacerdotibus exoptulant nonnulli, quòd multa peccent in Sacramento penitentia administrando, qui in eodem suscipiendo, quid ipsi, quantumve peccent, parum sunt solliciti. Quidam accusant Sacerdotes quasi peccatis indulgentiores, & laxioris morum doctrinæ assertores, qui, ne id quidem agunt, quod

ab ijs exigat vel solutissima morum disciplina. Vellent illi in universum, Sacerdotes severitatis & zeli plenos, dum sibi ipsi privatim nihil non indulgent. Verum enimvero in peccatore residere potissimum debet illa pœnitentiâ severitas, in quo residet peccati labes. Debent utique Sacerdotes severi esse, sed ut eorum severitas suppleat nostram. Quò enim Sacerdotum severitas omnis, quantumvis pura ac sancta, si nostra illam non comitetur, aut etiam prævertat? mittamus igitur de pœnitentiâ proloqui severitate, prout spectat ad Sacerdotes, quos DEUS in potestatis suæ partem vocavit; quos legatos suos esse iussit, & sui juris defensores ac vindices. Si quis fortè in sacro sancti ministerij exercitium abusus irrepserit, præsulum est ipsum abolere, & eorum qui Ecclesiasticæ Republicæ præsunt. De nobis tantum solliciti simus, rationem de nobis tantum reddituri.

Ajo itaque, pœnitentiâ nostrâ valorem ac pretium ab ipsius severitate petendum esse. Severitas necessaria, severitas jucunda. Animum, quæso advertite, & percipite quid velim. Contendo pœnitentiam, quâ spectat ad nos, severam esse oportere; atque id ipsum ostendam in primâ concionis hujus parte. Sed ne illa vos severitas deterreat à pœnitentiâ studio,

dio, addam, quo severior est pœnitentia, eò plus habere vel in ipsâ severitate jucunditatis. Severæ pœnitentiæ necessitas, hoc primum; severæ pœnitentiæ jucunditas hoc alterum concionis capit erit.

## PARS I.

**Q**UANTUMVIS per peccatum soluti sint hominum mores, facile intelligitur, si modò nota tantisper sit pœnitentiæ natura, qua parte ad peccatorem attinet, severam eam esse oportere, Cujus rei ratio quam affert Augustinus planè convincit. Quid enim est pœnitentia, inquit ille. Est judicium, sed omnino singulare. Etenim si me interrogas, quis ei judex præsideat, respondeo eum ipsum, qui ut reus in illud constituitur, hoc est, peccatorem. *Ascendit homo adversum se tribunal mentis suæ. Sibi ipse constituit tribunal in animo: se ipse vadatur & citat; in se ipse fit & accusator, & testis & judex.* En vera & genuina pœnitentiæ Christianæ forma. Verùm, inquires, Augustinus alibi de divino judicio sermonem habens, solius DEI esse ait, in suâ causâ sedere judicem, sed ita tamen, ut è nullo alio pendeat, ut supremam habeat auctoritatem, ut nullus sit appellationi locus. Longè dispar hominis conditio; dum se ipse

*August.  
Lib. 50.  
Homilia*

ipse judicat per pœnitentiã, judicat solum ut legatus, & DEI judicis summi locum tenens. Se ipse judicat, sed ut inferior judex è supremo pendens giudice. Quæ discrimina haud levia sunt & ad rem quam probare sum aggressus, non parum accommodata; pœnitentiã videlicet nostrã, rigidã & severã esse oportere. Accipite enim tria quæ ex illo principio à me ducuntur. In agendã pœnitentiã, DEI personam homo sustinet, dum se ipsum judicat; debet ergo in se ipsum, rigidum severum judicium exercere. In agendã pœnitentiã, homo fit, non alterius, sed sui ipsius judex; debet ergo adhibere in judicando severitatem. A judicio, quod in se homo Christianus pronunciat, appellari potest supremus judex DEUS; debet ergo maximam æquitatis rationem habere. Hæc tria dum evolvo, animis adeste.

Sic est ut dixi, Auditores; DEI personam homo sustinet, cùm in agendã pœnitentiã judicat se ipsum, atque hoc Tertullianus disertis verbis significat. Pœnitentiã, inquit, est virtus, cujus est, justitiæ, iræque cœlestis vices præstare. Justitiæ ad damnationem; iræ ad pœnam. Hanc enim vim habet præclara illa sententiã. *Pœnitentiã, DEI indignatione fungitur.* Virtus, cujus est, DEI

Tert. de  
Pœnit.

cau-



causam, contra nos, tueri ac defendere: DEO illarum injurias resarcire in nobis: DEUM ulcisci & placare, etiam cum proprio nostro incommodo: efficere, ut pro criminum nostrorum ratione, DEI indignationem & odium sentiamus: perfectum illud odium dico, quo peccatum ille persequitur; indignationem illam sanctam, quam in eo, quia DEUS est, non potest non movere peccatum adversus peccatorem. Si pœnitentia rectæ rationi sit consentanea, hoc est, si talis sit qualem esse oportet, habetis veram illius formam. An potest autem ejusmodi forma in pœnitentiam convenire, nisi rigida sit, & in nobis, contra nosmetipsos, illud severitatis studium exciderit, quod est illius admodum proprium.

Atque ut oratione utar simplice, maximèque remotâ ab oratoriâ exaggeratione, quam hac in re procul missam volo; dicite, quæso, Auditores, ignava & mollis pœnitentia, habentne in se quidpiam, quod divinam exhibeat indignationem? habentne mundani hominis pœnitentia, Deique justitia vindicæ proportionem ullam & comparationem? aut potius cum summa hujus severitas, & pudenda illius laxamenta inter se distent tam prodigiosè, potestne altera  
pro

pro alterâ substitui, aut tantumdem, si  
fas ita loqui, quantum altera, valere?  
quis hoc dixerit, Auditores? quis cogi-  
tet? ex his igitur consequens est, pœ-  
nitentiam nostram tunc non solum non  
esse adeptam illum perfectionis gradum,  
unde divino Numini fieri posset longè ac-  
ceptissima, verum etiam si propius &  
in suâ origine spectes, & ad eam nor-  
mam exigas ad quam respondeat oportet,  
ne admittendam quidem esse. Quid  
ita? quia cum supremo tuo exemplari  
nullâ ex parte est congruens, & illi  
Tertulliani regula nusquam accommoda-  
ri ad eam potest. *Pœnitentia, DEI in-  
dignatione fungitur.* Si solam rationem  
consultam, sic colligam necesse est. Ex-  
cutiamus sententiam hanc Tertulliani, &  
quoniam nihil sibi aliud vera pœnitentia  
proponere debet, quàm ut peccatum  
damnet ac plectat, fingamus animo,  
inquit Augustinus, DEUM nos, quasi ex  
inito pacto, ita compellare. Aut te ip-  
se judica, aut invitus judiceris necesse  
est. Te ipse judica hæc in vitâ, aut  
judicaberis invitus in morte. Utrum  
malis optio datur. Utrûmque vitari ne-  
quit. Peccatum enim quodyis iudicio  
est obnoxium. Sed alterutrum mihi sa-  
tis erit. In te igitur positum est, ut à  
me judiceris, nec ne. Si enim pœni-  
ten-

rentiam agendo te ipse judicas, jam mihi non es obnoxius. Jam te in iudicium vocare nequeo. Contrâ verò si te ipse non judicas, aut judicas perperam, jus meum manet in integro; &, quâ DEUS, ex providentiâ meâ lege, retinere illud, quantum quantum est, debeo. Quo autem loco talem DEUS apponit conditionem? apud Prophetas omnes, sed expressius in Epistolâ ad Corinthios, ubi Paulus, dum fideles instituit, ita eos admonet. *Quod si nosmetipsos dijudicavimus, non utique judicabimur.* Habetote istuc, Fratres, pro certo, si nosmetipsos severè judicemus, nunquam à DEO esse judicandos. Hinc veteres Patres pœnitentiâ vim ac potestatem tot laudibus efferunt, dum illius esse docent, divinâ nos quasi subtrahere jurisdictioni. *Quàm bonum,* inquit Bernardus, *pœnitentiâ iudicium, quod districto DEI iudicio me subducit.* Volo addebat idem Sanctus Pater, volo, tamen si reus tamen peccatis coopertus, tam formidoloso iudicio sistere me, sed jam iudicatum, ut nihil in me reperiat iudicandum. Quoniam non ignoro, quod & ipse monuit, quod est iudicatum ab eo semel, nunquam esse iudicandum. *Volo vultui, irâ iudicatus presentari*

1. Cor. II.

tari non judicandus, quia bis non judicat in  
id ipsam. Bernard.

Quæ cum ita sint, nonne meritò pronuntiatum à me est, peccatoris severitatem in seipsum omnino necessariam esse pœnitentiæ conditionem; Quid enim ago, pergît Bernardus, atque hoc ipsum usurpare nostrum quisque debet, ut ad proximum festum ritè celebrandum nos comparemus; quid ago, seu cum accedo ad sacrum pœnitentiæ tribunal, seu cum tacitè apud me hujus virtutis actus elicio? aut ago, aut agere me oportet illud ipsum, quod DEUS est olim acturus; quid autem est olim acturus? severum de me judicium pronuntiabit, quod neque errore inobscurari, neque cupiditate ullâ frangi, neque muneribus corrumpi valeat. Judicium, in quo DEUS, ut sententias ferat irreprehensas, vim omnem mentis adhibebit, & sanctissimæ suæ voluntatis integritatem. *Ut vincas cum judicaris.* Uno verbo, judicium, in quo DEUS, me invito ac renuente, noxas meas omnes nudabit, & ita nudabit, nullam ut prorsus remittat ac condonet; hac enim ratione ipsum judicaturum fides docet. Si velim igitur ritè pœnitentiam agere, tale quidpiam fieri à me necesse est. Atque ut tempus appetit quo mihi mecum *in judicium intrandum*

Psal. 10.

Psal. 124.

dum

*dum est*, ut me comparem ad Christi natalitia celebranda, imitari oportet, quantum in me est, supremi Judicis in me judicando rationem; in omnes debeo conscientia partes descendere, singula & maximè abdita exploraturus & scrutaturus animi vulnera. Examen illud spectandum est, ut divini examinis supplementum, atque adeò ut gravissimum vitæ totius negotium, quòdque potissimum à me cautionem & diligentiam requirat. Quapropter omnis ingenij acies intendenda mihi est, ut me non perfectè minus quàm DEUS ipse judicem; ut delicta mea perspiciam, discernamque eadem æquitate, eadem severitate coarguam, qua DEUS ipse. Ut hæc actio accepta DEO sit, non cupiditas adhibenda mihi est in consilium, non *prudencia carnis*, non profana sapientia, non aliorum exempla, non consuetudo, non vanus seculi sensus, non præjudicata opinio; conscientia, fides, Religio sola audienda. Sumenda in manus trutina, non ea, quæ mundanorum est; *mendaces enim filij hominum in stateris*; sed trutina illa sanctior, in qua, ut & infelix ille Babyloniorum Rex, sum olim examinandus. Aliam si sequor in obeundâ pœnitentiâ viam; si ad Sacerdotis etiam pedes abjectus; mihi met indulgere, si errata mea celare me ipsum,

Rom. 8.

Psalm. 16.

ipsum, si conspirare cum cupiditatibus, si innatam causari fragilitatem, si dilectis meis nomina quævis præponere lubet; ut alia partim excusam, partim dissimulationis integumentis alia involvam; his rectæ intentionis speciem, istis fatalis cujusdam necessitatis rationem obtendam; si mihi causam semper adjudico; si cum mens in dubio est quibusdam de rebus, quæ contra æquitatem fieri à me solent, habentque duras sibi leges annexas, semper absolvor judice me, & molesto satisfaciendi onere conscientia levatur, adeo ut quamcunque ob injuriam, & damnum illatum à me, nihil proximo, ex meis decretis, debere me censeam; denique si ne diligentior investigatio molestiam mihi, sed salutarem ac necessariam aspergat, subito ac præcipiti examine sum contentus, dubitationes ac scrupulos, ut ita loquar, sopiens potius, quàm tollens; si ad eum, inquam, modum pœnitentiam ago, ficta est illa utique ac simulata, proindeque supremo Numini odiosa. Quid ita? quoniam non est, ut debet, DEI iudicio consentanea. Diversis ambo utimur ponderibus ac mensuris, atque hoc ipsum, teste scripturâ, iniquum est, Deoque abominatum.

Enimverò longè aliter est nobiscum acturus supremus ille Judex. Mollis illa  
ac

ac remissa nostræ hujus pœnitentiæ ratio, valde diversa est ab eâ, quam est aliquando sequenturus. Frustra alioqui merus illius nobis injiceretur. Frustra sanctissimos quosque perterruisset olim, & perterreret etiamnum. Si posset enim DEI judicium cum nostrâ illâ lenitate, cum nostrâ illâ dissimulatione & indulgentiâ convenire, quid in eo tam formidandum inesset? &, quâ dici possent DEI judicia ab hominum judicijs tam remota? sed, ne vanâ illâ spe nos pascamus, hæc duo semper fides intonat. Severissimum esse DEI judicium, & pœnitentiæ nostræ exemplar ac normam illud esse oportere. Unde colligamus necesse est vel inviti, falsam & inanem esse pœnitentiâ nostram, nisi si comitem habeat severitatem illam, qua nosmetipsos, in nobis judicandis & condemnandis, uti oportet. Hinc illa Prophetæ sapientissima vox, qua DEUM precabatur, ut varias, quæ à Dæmone, ad noxas excusandas, ingeri solent, causas & prætextus amoliretur à sese. *Ne delines cor nostrum in verba malitiæ, ad excusandas excusationes in peccatis.* Ac quoniam experientiâ didicerat delabi in id vitium hominum plerôsq; nec iniri numerum posse falsorum ejusmodi *Electorum*; sic enim eos appellat, qui etiam cum a-  
gunt cum DEO, sibi semper extra culpam

*Psal. 140.*

omnem, ut videntur, aut esse se contem-  
dunt; ab eorundem societate abhorrere  
se significat Vates sanctissimus. Ita enim  
ille: *Cum hominibus operantibus iniquita-*  
*tem, & non communicabo cum electis eo-*  
*rum.*

*Ibid.*

Sed qui sunt illi tandem *seculi electi*,  
querit Augustinus, dum hæc edisserit  
psalmi verba; qui *sunt illi Electi seculi*? hi  
nimirum, inquit Augustinus, qui, ut  
Pharisæus ille Evangelicus, arcanâ qua-  
dam superbiâ tenentur: qui cum sibi met-  
ipsi minus noti sint atque perfecti, de se  
semper bene existimant, probitate suâ  
plus satis confisi; quibus nec sui errores  
suspecti sunt, nec innatæ libidines; qui  
vicia sua ponunt in virtutibus; qui cupi-  
ditatibus cæcati, pro justitiâ vindi-  
ctam, obtreccionem pro patrocínio ve-  
ritatis, ambitionem pro officii habent ac  
numeris studio; qui se quidem ipsi morta-  
lium deterrimos confitentur universè, sed  
nullius privatim errati convinci se patiun-  
tur; uno verbo cuncta ut complectat, qui  
facta sua DEO semper excusant, & se, ho-  
minum judicio, irreprehensos arbitran-  
tur. Tales Augustinus nobis illos descri-  
bit. Unde intelligimus id genus homi-  
nes nunquam defuisse. *Sæculi electi*, qui,  
cum vitiis suis præsidium quærant, vel eo  
ipso ad ea deslenda parati non sunt, mul-

*August. in  
Psal. 140.*



rō minus ad ea deserenda, in quorū tamen  
 pœnitentiâ consistit. Ille, addit idem  
 Sanctus Doctor, astris imputat flagitia  
 sua, quasi verò Martis & Veneris sydera,  
 ipsius crudelitatis causa sint atque spurci-  
 tia. *Venus in me adulterium fecit, sed non  
 ego.* Ille Manichæorum errore imbutus,  
 non se, sed gentem tenebrarum, peccare  
 in se contendit. *Non ego peccavi, sed gens  
 tenebrarum.* Talis tunc erat hæreti-  
 corum sermo, qui, ut est notatum ab  
 Augustino, hominis superbiam fovebat  
 & perseverantiam in peccatis, dum trans-  
 ferebat in DEum ipsum. Nec absimilis  
 est hodiernus hominum sermo, alias quam-  
 vis adhibeant & simpliciores voces, ho-  
 minum; inquam, qui sibi tantopere  
 indulgent, & in agendâ pœnitentiâ adeò  
 segnes sunt ac remissi. Quæro enim ex  
 vobis, Auditores, cum quis ad sacerdo-  
 tis pedes abjectus, se cuiuspiam vitio obno-  
 xium quidem fatetur, sed vitium illud addit,  
 vituperatione minus quàm commiseratione  
 dignum esse; tribuendum imbecillitati  
 naturæ & constitutioni corporis, quæ non  
 sit in suâ potestate; quæro, inquam, an  
 qui ita loquitur, non incidat in eorum  
 hæresim, qui cuncta tribuebant stellæ  
 suæ fato, dicebantque, *Venus in me adul-  
 terium fecit, sed non ego.* Et, cum alius  
 quis-

August.  
 ibid.

ibid.

quispiam, ut flagitia purget, agnoscit ea quidem primùm, dein [subjungit, inesse quandam in mundo contagionem, quam vitare nequeant; hoc mundi fatum esse: qui eâ afflari nolit, ei utique discedendum e mundo; quid aliud est, ejus opinione, mundus, quàm gens illa tenebrarum, de qua Manichæus, *non ego peccavi, sed gens tenebrarum.* His se arinis defendunt *saculi Electi.* Defensiones illa sunt *Electorum saculi.* Quæ defensiones tam DEI sanctitati injuriosæ sunt, quàm ad hominum licentiam fovendam idoneæ. Quin potius, concludit Augustinus, severioris pœnitentiæ aculeos emittimus in nosmetipsos, ut DEO, dum nosmetipsi condemnamus, debita laus tribuatur. *Transi ad vituperationem tuam & DEUM lau labis.* Dicamus DEO, regium psaltem æmulati, ex veræ ac sinceræ dimissionis affectu, *sana, Domine, animam meam, quia peccavi tibi Peccavi, inquam, & peccatum illud, neque in naturam meam, neque in corporis constitutionem transferendum cenfeo. Liberam hujus potestatem habebam & frangebam utique inordinatos ejus motus, ad arbitrium & libidinem meam: cupiditas illa, cui contra voluntatem tuam sum obsecutus, nunquam à me quicquam impetravit, quod commodis meis officeret. Docilis erat & subjecta rationi cum me-*

August.  
Ibid.

Ibid.

Psal. 40

tuebem, ne evagata longius, in publicam erumperet offensionem; nec erat vis illius tanta, quam non comprimerem, ubi vel fama, vel fortuna mea agi videbatur. *Peccavi tibi.* Sed non possum istuc tribuere mundo, nisi injustè. Mundus enim ille, quantumvis malus, imperium in me non habuit, quàm quod illi libens permisi. Et verò ut mihi metipsi satisfacerem, centies illum contempsi, centies vanitati indulgens & innata levitati, jugum ipsius excussi, consuetudines ejusdem, legesque posthabui. Si te, DEUS optime, tantùm amassem, quantum mundanam gloriam, quantum fluxa & caduca bona, quantum mortalem hanc vitam, nunquam profectò mundi me per-versitas corrupisset. Tecum igitur non agam bonà fide, si in flagitiosum hunc mundum flagitia mea refundam. Vides, inquit Augustinus, quantum DE I gloriam amplifices, cum te ipsum judicas, & severè judicas; dum arctos intra pœnitentiæ terminos te sponte concludis ac contines. *Vides quomodo sic pateat laus DEI in qua angustiabar is cum te velles defendere.*

*August.  
ibid.*

Sed quid naturæ magis consentaneum, quàm ignoscere sibi ipsi? &, quoniam in agendam pœnitentiã, dum sustineo DE I personam, mei ipsius judicem ago, quid

ve.

veni magis dignum, quàm si in me severius non animadvertam? fateor equidem, Auditores, mihi magis esse secundùm naturam, quàm ignoscere sibi ipsi. At ex eo ipso alterum peto argumentum, ad severioris pœnitentiæ necessitatem comprobandam ex eo, inquam, ipso, quòd sunt homines naturè suâ tam sui amantes, tamque proclives ad sibi indulgendum; necesse est enim ut pœnitentiâ amorem illum vincat insitum à naturâ, quod efficere non potest, nisi pœnitentiæ severitatis adminiculo. Er verò si aliorum agatur causa, si pronunciandum de proximi factis, nihil sit opus ad severitatem vos adhortari. Neque enim me fugit, quantopere simus ad carpandos & damnandos aliorum mores, sponte & naturâ nostrâ, propensi. Sed cum res nostra agitur, ut nobis blandimur suprâ modum, & indulgemus in omnibus; quid melius tutiusque suadere vobis possim, quàm prudentem, sed rigidam & flecti nesciam severitatem? quoties estis experti levissimas injurias, cum jis afficimur; contumelias nobis videri longè gravissimas; contra verò contumelias longè gravissimas; cum ad alios tantùm attinent, judicio nostro, penè nullas esse? unde hoc autem, nisi & inordinato sui ipsius amore, quo cæcari vul-

gò homines solent ? quibus verò armis amor ille expugnari possit, nisi pœnitentiæ rigore ? tam splendidos heu ! colores vitii nostris inducimur ; ea obtegimus & excusamus tam ingeniosè ; quod DEUS, quòd homines reprehendunt in nobis, in eo nos sæpe amamus, in eo nobis sæpe gratulamur ac plaudimus ; qualis igitur futura est pœnitentia nostra ? si pravam illam naturæ proclivitatem, normâ aliquâ rectiore ; quamvis minus commodâ, non emendamus ? quos in errores incidemus ? quot peccata manebunt impunita ? quot damnabimus tantùm ex parte ? diffidamus nobismetipsis : nosmetipsos nunquam audiamus : hac etiam cautione adhibitâ, fieri non poterit, quin simus valde adhuc obnoxii laqueis & artibus subdoli hujus amoris, quem in omnes vitæ nostræ partes obrepentem, tam est operosum avertere.

Sed est & alia gravissima ratio, quæ pœnitentiæ severitatem longè efficacius persuadeat, & integram sola concionem postulet. Videlicet, iudicium illud, quod in nosmet pronuntiamus, supremum decretorium non esse, sed pendere ex alio ad quod appellari possit ; iudicium, cujus vitia & peccata, superioris alterius iudicii, quod vitari nequit, materiam esse oportet. In illud enim formida-

midabile iudicium sistendi omnes sumus, Christiani Auditores, & citra provocacionem ullam iudicandi. in illo DEUS, qui, ex supremâ suâ in homines potestate ac Dominio, iudiciorum omnium est Iudex, nostra omnia recognoscet & emendabit. *Cum accepero tempus ego iustitias iudicabo.* Quid autem est in illo iudicio acturus? quâ in re est operam positurus potissimum? an in nostris criminibus iudicandis? nequaquam, inquit Chrysostomus; sed præcipuum ipsius munus erit, quod & divini Numinis excellentiam supremamque potestatem magis ostenderet, ut latus à nobis ipsis contra flagitia nostra sententias iudicaret; ut iniquitatem in accusationes institutas à nobis; nostras damnet, ut ita loquar, damnationes; ob pœnas nobis inflictas, pœnas irroget; denique ut nostræ etiam pœnitentiæ nos agere pœnitentiam cogat, id enim propriè verba illa significant, *ego iustitias iudicabo.* Egregie, nos tectos ac munitos credimus falsæ hujus pœnitentiæ velo; sed nihil obtectum velo illo deprehendemus, præter dedecus & opprobrium nostrum. Illæ peccatorum confessiones, quas leviculæ pœnæ subsequuntur, iustitiæ nunc totidem nobis videntur DEO acceptæ; verùm inter gravissimas iniustitias fuisse illas nonnunquam

quam numerandas, DEUS ostender; atque hæc falsæ justitiæ sunt, seu potius injustitiæ, quas est olim suos ad claculos vocaturus. Ah! quid proderit nobis usque adeo esse planditos? quid proderit tantopere nobis indulgisse? quid proderit invenisse, & quæsisse forassis, indulgentes, & faciles Christi ministros? quid proderit, è divinorum mysteriorum dispensatoribus, fecisse molitiæ nostræ confortes ac socios? quid proderit illa ipsorum in nos indulgentia quid præpropera illa peccatorum solutio? an rata erit apud DEUM? an quodcumque Sacerdotes solverint in terris, DEI jura laxando, solutum propterea erit in cœlis? eonc usque pertinet potestas clavium illis concessa? negat istuc Angelicus Doctor. Est quidem pœnitentiæ tribunal, in quo illi sedent, misericordiæ, sensu quodam, tribunal, sed divinæ non ipsorum; non nostræ misericordiæ tribunal, sed multò adhuc minus nostræ. Si enim zeli defectu, ipsorum misericordia, aut mentis cæcitate, pœnitentiæ nostræ nostra inter se intermisceat misericordia, iterum dico, ac vœ mihi, si vos ea de re opportunè, ut Apostolus Paulus loquitur, & importunè non monuero? ab illo divinæ misericordiæ tribunali, ad justitiæ, & misericordis Justitiæ, tribunal, nobis

nobis est transcendendum. Hoc fundamentum ponendum à vobis est, Auditores Christiani, fundamentum, quo illa omnis Ecclesiasticæ disciplinæ, quæ vige-  
bat olim, severitas nitebatur. Apud nos, inquiebant veteres illi Christiani, teste Tertulliano, *districtè judicatur, tanquam apud certos de divino judicio.* Severum in nos judicium exercemus, quia severum nos tribunal manere non ignoramus, imò semper illud ante oculos habemus. Et vero, subdit Chrysostomus, inferiorem judicem agere oportet summo jure: superioris est duntaxat dare legi laxamentum; unaque veniam impetrandi via, si sibi venia non tribuatur.

Est rationi consentanea severitas: sola enim hîc satis sit, ad nos planè convincendos, ratio nostra. Si florent adhuc prima illa & fortunata ferventis Ecclesiæ sæcula, quibus noxa unica; ex his quas mollities nostra tam vulgatas fecit, piari solebat laboriosâ peræque ac probrosâ multorum annorum pœnitentiâ, nobis fortasse veniret in mentem, ultra modum egredi severitatem id genus, & meum esset, ut divini par est juris vindicem, illam, qua possem, tueri ac defendere. Docere vos meum esset, ad eam non immoderatam fuisse Evangelicam il-  
lam



lam severitatem, ut potius persuasissimum haberent veteres illi Christiani, divini jura Numinis, quæ restitui pœnitentiâ peccasse est, longè etiam ulterius proferri; sapientio rem disciplinam Ecclesiam nunquam tenuisse; si postremis temporibus leges illas paulùm laxare ac mitigare quodammodo coegit nimia Christianorum mollities, hoc ipsum utique leges easdem commendare, quòd videlicet tam rationi consentaneæ fuerint illæ primitus, quàm nos postmodum ab eâ videmur descivisse. In alia tempora ætas nostra incidit Auditores, neque jam fidei vestræ docilitas requiritur, & obsequium, ut hodiernam hanc pœnitentiæ severitatem approberis. Severi nihil habet illa, quàm quod ratio nostra vobis ipsa præscribit; aut, ut accuratius loquar, quod jam inest in pœnitentiâ maximè severi, hoc ipsum est, quod ratio ipsa vobis præscribit.

Sic est, Auditores, ad insitæ rationis fines pœnitentia nos revocat; in eo consistit, semperque consistit ipsius ad salutem necessaria severitas: iis cancellis egredi nos si contingit, rursus includit invitos, cogitque vel contra nosmetipsos; & cum incommodo etiam nostro, rationi esse obsequentes. Hoc ipsum enim verò maximè arduum in pœnitentiâ

riâ, & longè difficillimum nobis videtur; sibi interdicare iis omnibus, quæ aut peccatum, aut peccati causam esse ratio monstraverit. Teneros illos affectus, quos & vitiosos ipsi, & peccati fontes esse judicamus, imo corde excutere. Jucunditates innumeras, quæ ad peccatum invitant, dimittere atque ablegare à sese; ea omnia arripere bonâ fide, quæ peccato necessaria esse novimus impedimenta. Tristia peccati damna contrariis operibus pensare; quo de argumento fufius fortasse alias dicemus; in eo, inquam, severa plus æquo pœnitentiæ nobis videtur; hæc si tollantur, nihil est quod non amplectamur: & modò id tantùm exigas, quod priscis canonibus est sancitum, haud gravatè eos omnes reduci, & restitui in integrum patiamur. Non indicta jejunia, non horrentis cilicii rigor, non aspersus capiti cinis, non corporis ad Sacerdotum pedes abjectio, molestiam ullam attulerint. Sed vindictæ appetitum comprimere, condonare injurias, malè parta bona restituere, sarcire ablatam famam, teneros amores extinguere, interdicare sibi periculosis congressibus, avellere se ab eo quod ametur; hoc enimvero illud est, quod naturæ vim infert, quod peccatoris animum excruciat; quod ab ipso tam agrè im-

petres

petres tam raro ; hoc illud est , in quo quotidie resistitis ministris Christi , & in quo repugnantia illa vestra , ipsorum aut enervat toties zelum , aut inutilem reddit.

Illuc tamen ipsum est in pœnitentiâ , quod rationi congruum esse dico , & re ipsa tam congruum est , ut non possit à vobis non exigi ipsimet fateamini ; tam congruum rationi ; ut offensioni futurus vobis ille sit atque scandalo , qui id à vobis non exigit. Cætera fuerant ab hominibus instituta , hoc juris est naturalis ac divini. Cætera erant mutationi obnoxia ; hoc semper manebit , & tam immutabile est quodammodo , quàm DEUS ipse. Cætera pendebant ex Ecclesiæ arbitrio ; hoc neque penes Ecclesiam est , neque penes Ecclesiæ ministros ; ut nulla sit , vel terrestris , vel cælestis potestas , quæ ab eo servando reddere vos immunes queat.

Felices nos , Auditores Christiani , si doctrinam hanc non respicimus naturæ quantumlibet acerbam ! felices , si rectæ rationis , cui , velimus nolimus , subjicimur , ductum sequuntur , pœnitentiæ rigorem quantus est , amplectimur ! Si dum cupimus , ut par est , DEUM in nobis ulcisci ipsius in nos iram omnem transmittimus , ut dicere liceat , quod Regius Psalter ; *in me transferunt iram tuam.*

Mica

Mira profectò, domine DEUS, transmissio, & quasi transfusio valde stupenda facta est. Ubi primùm intellexi, peccari à me admissi gravitatem, & illius verè pœnituit, ira tua omnis à te transit in meum pectus. *In me transferunt ira tua.* Iram tuam dico, illa enim opus mihi erat, nec alia, quam tui, qui tantus es, peccatum, quod tantum est malum, exterminare potuit. Fuisset ira mea remissior: habet tua vim omnem ad tantum opus perficiendum, necessariam, ideò illam in meum pectus totam trajecisti, quia vim ejus omnem peccatum meum merebatur. Non satis erat pars ejus aliqua: eâ omni, quanta quanta est, opus mihi erat, ad detestanda & plectenda gravissima peccata mea. *In me transferunt ira tua.* In eo ipso, Domine, misericordiam tuam agnosco, in eo, inquam, quod à te in meum pectus iræ tuæ fluctus omnes transfudisti; si enim illa mansisset in te, at quid eadem contra me non impulisset? in me verò transmissa, placabilis facta est ac veluti humana. Neque tamen permisisti, DEUS optime, ut à te in meum pectus rectà transiret. E tuo sinu egrediens fuisset illa ardentior, nec fuisset sustinendo, quo esset moderatior, fecisti ut primùm transiret in filii tui pectus, ubi illius ardor, dum piam in ipsius membris & cru-

& crudelitatem exercet, penè restinctus est, & quoniam Filii tui pectus beneficiorum fons est omnium atque origo, hausit ex illo veluti sanctitatis, & misericordiæ centro, vim quandam salutarem, qua mihi sanctimoniam impertiret. Ita nempe in me transit ira tua. Ita eam habui, ira retinere eam volo. *In me transferunt ira tua.* Severam illa efficiet pœnitentiam meam, & quò severior erit, eò svavior vicissim ac jucundior est futura.

## PARS II.

**T**ERTULLIANI, de pœnitentiâ agentis, pronuntiatum est, non minus gloriosum DEO, quàm humanæ confidentiæ, superbiæque deprimendæ accommodatum. Quid agitur frater? ita ille peccatorem compellat. Scire aves utrum pœnitentia tua utilis tibi futura sit nec ne. Quid refert? jubet DEUS ut pœnitentiam agas: an non satis est causæ, ut ipsi obtemperes? an non sola sufficit jubentis auctoritas, seclusâ utilitatis spe? *Bonum tibi est pœnitere, an non, quid revoluis? DEUS imperat? prior est auctoritas imperantis, quam utilitas servientis.* Quod de pœnitentiâ generatim atque universè Tertullianus, de pœnitentiæ severitate dici merito possit. Tametsi severitas illa nihil non haberet acerbi nobis atque austeri, tametsi talis esset, qualem vulgò eam sibi fingunt homines sui amantes, homines mundani; juben-

*Tertull. de  
pœnit.*

jubente DEO, quid agendum nobis super-  
esset nisi ut nos generosè ipsi submittere-  
mus, animi nostri mollitiâ, divinis, ut  
par est, imperiis cedente. *Prior est au-  
thoritas imperantis, quàm utilitas servientis.*  
At enim non agit nobiscum DEUS pro im-  
perio & jure suo summo, & bonitate se  
prorsus dignâ, sic res moderatur ac tem-  
perat, ut nos non modò non opprimat  
impositum onus, verum etiam leve videa-  
tur; & si omnes pœnitentiæ labores  
subire nos jubet, una satagit, ut quæ a-  
cerbitatem eorum mitigare & mollire pos-  
sunt, nunquam desint. Rectè ergo Ter-  
tullianus; & quamvis de pœnitentiâ quæ-  
dam senserit non satis moderatè loquitur  
tamen accuratè, cum alicubi ait, in pœ-  
nitentiâ positam esse peccatoris felicitate-  
m; *Pœnitentia hominis rei felicitas.* Qui  
non nosset hujus virtutis effectus, po-  
tius, qui eos nosset tantùm ex parte, pa-  
radoxâ ei videatur hæc sententia. Quid  
enim minus in speciem humanæ felicitati  
accommodatum, quàm quod animum af-  
fligit, carnem castigat, cupiditates fran-  
git, nosmetipsos denique *abnegare* com-  
pellit; quæ cuncta sunt Christianæ pœni-  
tentia munia. Habendum tamen pro  
certo, Christiani Auditores, amissâ in-  
nocentiâ, nihil præter pœnitentiam ho-  
minem beatum efficere posse; beatum,  
ia

Luc. 9.

inquam, vel in hac mortali vitâ. Quæ de re faciliè vos mihi, ubi cætera audieritis, assensuros confido. Etenim peccatoris, vel in hac vitâ, felicitatem appello, post Tertullianum, quod ipsius conscientiam pacat, & tranquillam facit; quod animum replet cœlesti dulcedine: quod de supremo judicio, quoad fieri potest, securum reddit. Hæc autem omnia, naturâ suâ, pœnitentiam præstare, fides docet. Addo solius esse severioris pœnitentiæ, habere divinos illos effectus, hoc est, tranquillam ac pacatam reddere peccatoris conscientiam; infundere cælestem illam dulcedinem, illam supremi judicii securitatem, aut Christianam saltem fiduciam impertiri. Rectè ergo à me colligitur, nemini non dulcescere pœnitentiam, vel cum est acerbè severa. Animum adverte; habent quippe quæ sum dicturus, adjunctum sibi fructum uberiores, quam formidolosissima quæque fidei Christianæ dogmata. Sic est; vera pœnitentia, atque aded in qua peccator sibi nimis indulget, minusque condonat, pacem affert. Hinc duo illa bona à Christo servatore simul accepit nobile illud generosissimæ pœnitentiæ exemplar, Magdalena, cum dixit is peccata deslenti, *remittuntur tibi peccata tua; vade in pace, Pax illa DEI, quemadmodum eam Paulus appellat, quia DEI*

*Luc. 7.*

DEI donum est præcellens ; Pax DEI :  
pax illa , quam mundus ; quia ipse non  
est , largiri non valet , *quam mundus dare  
non potest pacem* ; pax illa , quæ omnem  
sensum ; omne bonum , omnem volupta-  
tem longè multumque superat ; imò sine  
qua nullum in vitâ bonum , nulla voluptas  
esse possit ; Pax DEI quæ exuperat omnem  
sensum. Pax illa , cujus est tranquillare  
pectus , turbidos illius motus componere ,  
conscientiæ levare angotibus ; pax , in-  
quam , illa , primus fuit pœnitentiæ fru-  
ctus , quem percepit ad Christi pedes acci-  
dens Magdalena. Hactenus DEO rebel-  
lis , suisque vitijis mancipata , ipsa secum  
assidue pugnaverat. Hactenus abrepta  
cupiditatis æstu , simul & occulto pulsata  
rationis flagello , persenserat peccati sti-  
mulum ; hoc est , pudoris , amaroris &  
mœstitiæ ex illo plus hauserat , quam gu-  
staverat voluptatis. Hactenus vixerat in-  
quies , mordaci sollicitudine dies ac no-  
ctes pectus exedente. Optatâ tandem  
pace & tranquillitate frui cœpit , cum  
primùm ipsius pœnitentiæ Numinis iram  
placavit. Tunc enim divinum illud in-  
audijt verbum , cujus & vim est experta ,  
*vade in pace.* Quasi Christus , pro po-  
testate quam habebat in Magdaleniæ pectus ,  
illud , quemadmodum ventos solebat &  
mare , jussisset esse tranquillum. Impera-

Phil. 4.  
Oratio.  
Ecclesiæ.

Phil. 4.

Luc. 7.

Matth. 8.

R. P. Bourd. Adv.



vit



vit, ventis & mari, & facta est tranquillitas magna. Ut ut est, contendo, Auditores, pro severitatis ratione, qua in nosmet animadvertimus, eandem nobis suavem ac jucundam accidere. Quod peccatrix Jerosolymitana experta est conversa ad DEUM, idem profus experiri nos, DEO non secus ac illi interius, imò etiam exterius Sacerdotum ore, verbis iisdem, pacem nobis significante; *Remittuntur tibi peccata tua: vade in pace.*

Luc. 7.

Sed quò fieri potest, ut pœnitentia severior, quæ, autore Tertulliano, irati Numinis partes agit, pacem nihilominus afferat? in eo utique ipso positum est prodigium illud, quod à vobis observatum velim. Nimirum suâ illâ severitate DEUM placat pœnitentia; DEUM exarmat; cum eo nos reconciliat; restituit in gratiam; ex irato, nihilque præter pœnas intentante, ac minante DEO, sanctâ quadam vi, velut conversum ac mutatum derepente, mansuetum fieri cogit, ac misericordem DEUM. DEUM, qui gloriæ ducit planè remittere quæ nobis ipsi non remittimus; qui offensas tantùm meminit, ut habeat quod condonet; qui eò judex est, ut se patrem nobis apertius ostendat; paterno tunc judicans affectu, cum in supremo die sit nos judicaturus imperiosi Domini ritu. DEUM denique, qui omni posito iræ ac

vin-



videatur, & sit, potest illa non amari, per quam licet cum Domino illo, è quo pendet felicitas nostra omnis, redire in gratiam? per quam pax illa, quæ est summum bonum in terris, & cum peccato stare nescit, nobis restituitur. Pergamus porro.

Ex interiore illâ pace, liquida quædam voluptas nascitur, quæ est alius severioris pœnitentiæ fructus; aliud sancti Spiritûs donum, quod ob id ipsum sancti Spiritûs gaudium ab Apostolo Paulo nuncupatur: *Gaudium in Spiritu sancto*. Quis illam verbis adumbret, Auditores? quis illam, nisi senserit prius, cognitam habeat? qui intelligat, qua dulcedine perfundatur, pœnitentiæ studio dedita mens, postquam emerit è flagitiorum cœno, & generoso conatu, id à se tandem impetravit, undè pendebat reditus ad DEUM? postquam ejus causâ cupiditatem illam, cui miserè famulabatur, penitus excussit: postquam vinculis abruptis, eâ libertate frui cœpit, quæ est *filiorum DEI* propria, ut cum Prophetâ exclamare liceat, *dirupisti vincula mea tibi sacrificabo hostiam laudis*. Ruptis, Domine, catenis, quibus religatus tenebar, asseruisti me in libertatem: pro quotam insigni beneficio, laudes tuæ semper in ore meo versabuntur; grates tibi habebō & agam sempiternas. Eò ut perveniret, vim illa sibi aliquam

*Rom. 14.*

*Rom. 8.*

*Psal. 115.*

in

intulerit necesse est. Consilium illud de  
abdicandâ libidinosâ illâ Consuetudine  
ipsi tam noxiâ , susceptum , de eruendo  
sibi oculo , qui scandalo ipsi erat , de fu-  
giendâ occasione tam damnosâ ; consi-  
lium , inquam , illud religiosum quidem ,  
sed ad suscipiendum tam difficile , & ad  
perficiendum multò difficilius , fuit illi  
mortis instar cuiusdam , qua nihil habet  
acerbius pœnitentia. Sedenim ubi victi-  
ma semel icta concidit , & operi supre-  
ma manus est admota , qua cœlestis dul-  
cedinis copiâ non perfunditur ? imper-  
vium est mysterium illud homini depres-  
so in carnem , & quasi in terram demerso.  
Hæc quia nunquam est expertus , neuti-  
quam percipit. Verùm ob id ipsum quod  
nunquam est expertus inquit Chrysostomus,  
neque sibi ipsum super eâ re, neque alios ei  
credere oportet. Hæc quia nunquam est ex-  
pertus , expertis credat necesse est.

Quid autem eorum experiri non so-  
lent qui seriò & bonâ fide flagitijs suis  
nuntium remittunt ? qua gestientis ani-  
mi effusione de his sermonem habent ?  
*quam suave mihi subito factum est*, inquit  
Augustinus , dum stupet ad mirificam mo-  
rum suorum mutationem , nec jam no-  
xas commemorans suas , sed infinitam  
in se prædicans DEI misericordiam , *quam  
suave mihi subito factum est , carere suavi-*

August.  
Confes. 9.  
Cap. 1.

Joan. 16.

ratibus nugarum, & qua amittere metus fuerat, quale & quantum dimittere gaudium fuit. Ejiciebas enim eas à me, vera tu & summa suavitas, ejiciebas, & intrabas pro eis, omni voluptate dulcior; magisque juvabat debellasse me ipsum, & suavissimo jugo tuo collum submisisse, quam cetera percepta olim voluptates. Ita Augustini pœnitentiâ illam Christi Domini prædictionem comprobavit; *mundus gaudet, vos autem contristabimini; sed tristitia vestra vertetur in gaudium.* Gaudio complebuntur homines mundani, vos mœstitiâ; sed mœstitiâ hanc, hoc est, pœnitentiâ vestram, quæ propriè & unicè salutaris est illa mœstitiâ, de qua Corinthiis Paulus gratulatur, voluptas excipiet, quæ spretas à vobis omnes mundi delicias & oblectamenta longè multumque superabit.

Illam pœnitentiæ jucunditatem præsta mihi, dicat è mundanis quispiam, & terrena omnia valere jam nunc jubeo. Promitte ac sponde, cœlestem illam dulcedinem non defore, & nullas pœnitentiæ molestias refugio. Erras, inquit Bernardus, erras, & malè argumentaris. Qua es infidelitate & morum corruptelâ, frustra istuc spondeam. Quæcumque à me dicantur, nullius sint apud te ponderis, earumque rerum studio,

ditio, quæ mores depravant tuos, inutilis reddatur sponsio illius boni, quod mente solâ cognitum, sensus tuos non admodum moveat. Si sit optio, in ijs malis immorari voluptatibus, quas jam percipis, quia præsentibus sunt, & aliarum imago quædam ficta duntaxat, & caduca spes ostenditur. Ante omnia te ipsum vincas oportet. Suavitas quippe illa, qua de loquor, manna est absconditum, unis sui ipsorum victoribus reservatum. *Vincenti dabo manna absconditum.* <sup>Apo. 2.</sup> Omnes pœnitentiæ acerbitates & cruciatus cum eris expertus, res ipsa plura te docebit, & brevior aperiet via, quam sermones longissimi. Quid pluribus opus est verbis? quid DEI promissa ab ipso iterata toties necesse est renovare hoc loco? credite pollicenti: neminem unquam fefellit: si magnanimi eritis, erit ipse fidelis,

At enim quot videre est in ipsâ pœnitentiâ aridos atque jejunos, qui centuplum illud arcanæ ac liquidæ voluptatis nunquam attingant? nonne siccitatem illam suam agnoscunt ipsi, deplorantque identidem, quasi de DEO, quod datam fidem non liberet, quodammodo exstulent. Videmus utique. Sed qui sunt illi vulgo? non illi profectò, inquit Bernardus, qui se generosè duris pœnitentiæ

tia laboribus devoverunt ; ijs enim solita illa ac spiritalis jucunditas nunquam desit. Si sunt , quos sua spes in eo fellit , gratia DEO peræque providenti ac justo , non illi certe qui nullum pœnitentiæ rigorem non amplectuntur : sed ij potius , qui eam quantum possunt , & plus quam oportet , temperant ; qui illi se dedunt pro arbitrio ; qui laboris & acerbitalis quidquid inest , dum circumcidunt & amputant , nihil sibi præter larvam quandam retinent , & inane pœnitentiæ simulachrum. Denique ij , quorum pœnitentiâ , cum omni suâ pompâ , & externâ , quadam severitatis specie , mille modis scædè soluta est , atque laxata. Si se quisque , ut par est , excuciat propiusque spectet , mali hujus fontem , si modo cæci planè non erimus , facile deprehendemus , & , qui fiat , ut illam Christianæ pœnitentiæ dulcedinem non percipiamus. Fatebimur istuc per nosmetipsos tantùm stare. Exclamabimus cum Prophetâ , *justus es , Domine , & , justum judicium tuum.* Justus es , & , cum in agendâ pœnitentiâ animo sim tam inertis , mirum videri non debet , in illius usu non gustari à me , quæ gustarunt & gustant quotidie tot fervidi Christi imitatores. Ubi aderit eadem animi excelsitas , idèmq; pietatis fervor , eandem

*Psal. 118.*

dem sentiam & ipse in obeundâ pœnitentiâ suavitatem.

Erramus igitur, Auditores, & valde erramus, cum pœnitentiâ severitatem in pœnitentiâ ipsius obicem vertimus; & est vulgaris, maximèque metuenda Dæmonis fraus, qua, ut in peccatis homines obfirmet, & à salutis itinere transversos agat, pœnitentiâ ipsis aspero vultu, formaque terribili, quæ odium & horrorem injiciat sui, solet ostendere. Quin & quosdam amare credas, talem sibi illam cogitatione depingere, ut eandem omittant quasi pro suo jure. Quoniam autem reperias inter Christi ministros & gregis ipsius pastores, nonnullos zelo calentes, *sed non secundum scientiam*; qui modum tenere nesciant ullâ in re; qui ne pœnitentiâ usum faciliorem reddant, eam impossibilem faciunt; qui sermonem de ea nunquam habent nisi verbis ad terrorem compositis; qui eam duriter & asperè proponunt, illoque omni, quo condiri debet, amoris ac fiduciâ temperamento destitutam? qui operam à se præclare positam arbitrantur, cum errantem non dico reducere in viam, sed cum timidum per sese ac perplexum in gravissimas perrurbationes ac molestias coniecere. Qui in ipso veluti limiæ & principio dum offendunt & peccant, DEUM nunquam ostendunt,

Rom. 10.



nisi truci ac minace vultu, quasi DEO periculofum quodammodo credant, benignum nobis & amabilem videri, optentque ipsi, ut ad clementiam & misericordiam minus propendeat; quoniam inquam, reperias homines opinionibus ejusmodi occupatos, multoque magis certos & obstinatos illarum pravitate alios inficere; quid fit? ijs abutuntur homines impij, infirmi offenduntur: triumphant videlicet impij ac gaudent, cum res audiunt exaggerari verbis, ut habeant aliquid causæ, cur illis vel fidem abrogent, vel planè omittant; vel nimiam caudentur difficultatem, atque adeò speciosum aliquod nomen effrenatæ suæ licentiæ obtendant. Ex varijs quippe illis pœnitentiæ plus justo rigidioris formis, quas videntur tamen nonnihil facere, & falsis etiam laudibus interdum aspergunt, hoc efficiunt unum, ut Christianâ pœnitentiâ procul, eodem flagitiorum cœno sibi manendum putent; est enim hæc eorum hominum, qui solutiorem hac atate nostrâ vitam exigunt, ars quædam subtilior; pœnitentiam volunt, cuius acerbitas moderati nihil habeat; quæ mitigationis expers sit & illecebræ, quia nullam profus pœnitentiam volunt. Si eam acturi essemus, inquit illi, nollemus minus austeram. Hærent tamen ibi desides, & si-  
bi

hi ipsi tacitè gratulantur illud, si superis placet, agendæ pœnitentiæ studium, si eam essent acturi, quamvis operi manum nunquam admoveant. Aut rigoris, in-  
quiunt, quidquid in eâ subest amplectamur, aut nihil; cum fixum nihilominus ac ratum illis sit, de vitæ liberioris curriculo non deflectere. Ea est flagitiosorum hominum ratio. Contrà infirmi & imbecilles animum despondere; dedere se languoribus; saluti desperare; pœnitentiâ supra vires credere; non posse diu continuari; tanto utique oneri succumbendum; Judaicum illud crebris sermonibus usurpare; *quis nostrum valet ad cœlum ascendere!* ecquis mortalium eò perveniat? ecquis sibi consistat; sic enim mundanis erroribus abutitur ignavia nostra, ad DEI jugum excutiendum. Itane verò, DEUS immortalis, tam crassâ arte nobis illud, nobis ad perniciem nostram fucum fieri permittemus? semperne ignorantia nostra eâ in re nobis excusationis erit loco? non ita. Quandiu enim sacrum illud verbi tui depositum fidei meæ concreditum erit, hæc duo semper & conjunctim annuntiabo; te in judicijs tuis terribilem; *Te patrem esse misericordiarum, & totius consolationis DEUM.* Nunquam eò temeritatis prorumpam, ut de summiâ benignitate tuâ verba quoties faciam, justitiæ tuæ  
men-

Deut. 30.

2. Cor. 1.

mentio à me non fiat? scio enim, quàm periculosas inde consecutiones deductura esset impiorum hominum natio. Sedenim Religioni haberem, si in justitiæ tuæ severitate annuntiandâ, de admirabili naturæ tuæ lenitate ac misericordiâ reticerem; fides enim, te ipso revelante, docet, peccatorum salutem, misericordiæ tuæ acceptam referri oportere. Justitiam verò tuam non posse solam, nisi æternis supplicijs eosdem addicere. Igitur alterum ab altero nunquam sejungam, ut mihi semper dicere liceat, *misericiordiam & judicium cantabo tibi Domine.* Quamvis autem profani seculi amatores, inexhaustâ illâ tuâ misericordiâ abusuri essent, non cessabo tamen eam ubique & propalam anuntiare, ut pro eo qui es, hoc est, pro DEO æquo justo ac bono habere ab omnibus, & impiorum etiam querelæ & obtrectationi, cum de eorum sceleribus sententiam feres, nullus relinquatur locus. *Ut justificeris in sermonibus tuis, & vincas cum judicaris.*

*Psal. 100.**Psal. 50.*

Dicam populo tuo, peccati labe, infinitum æs alienum contrahi à nobis. Sed simul monebo, quia ipse, unde tibi solvamus, suppeditas, facile nos eo levare posse. Dicam, ne se infelici confidentiâ perditum eat, pœnitentiam rigi-  
dam

dam esse oportere. Verùm ne in funestam, ut fit, salutis desperationem probabatur, hoc illi solatij loco proponam, nullam adeò rigidam esse pœnitentiam, quæ caelesti sibi adjunctâ unctiōe, non dulcescat. Neque alias, ad faciendam fidem, probationes adhibebo, quàm promissâ tuâ, quàm inconcussa scripturæ tuæ oracula. Dicam, ne in errorem inducatur, illam pœnitentiæ severitatem, jugum quidem esse; sed, ut animos addam, non omitam commemorare; jugum illud tutum esse, teque ad illud nobiscum ferendum, fidem tuam, obligasse; spiritum tuum, ut Apostolus tuus loquitur, flere in nobis, in nobis gemere, in nobis, si fas est ita loqui, pœnitentiam agere, quoniam opitulante ipso, & operam, pœnitentiæ damus, & ut demus, naturæ reluctantis cuncta superat in nobis impedimenta. Has regulas sequutus, nihil erit quod metuum. Vel coram ipsis Regibus de legis tuæ observatione fidenter, quemadmodum Propheta, sermonem habebō. *Loquebar de testimonijs Psal. 118. tuis in conspectu Regum, & non confundebar.*

Apud Regem, Domine, omnium maximum verba facio; quis enim unquam verbi tui præco talem ac tantum principem auditorem habuit? est is non Regum

gum

gum modò, quot quot sunt in orbe terrarum, longè maximus ; sed, quod illum mihi multò augustiorum reddit, Regum omnium religiosissimus. Est Ecclesiæ tuæ tutor ac patronus potentissimus in terris, incredibilique flagrans à vitæ religionis studio. Est apertus impietatis hostis : nec patietur unquam effrenatam impiòrum hominum licentiam in te arasque tuas insurgere atque impunè grassari. Est veritatis amans, ut de ipso meritò dixerim quod de Theodosio olim Ambrosius, magis fuisse probatum illi, qui vitia emendaret arguendo, quàm qui foveret adulando. *Qui magis arguentem probat, quàm adulantem.* Quæ laus in excelsas tantùm mentes cadere potest, & easdem alijs secernere. Talis est princeps invictissimus, qui mihi dicenti aures præbet. Verumenimvero tametsi habenda oratio esset apud barbaros & divino tuo nomini insensissimos Reges, docerem nihilo secius non minore confidentiâ, quàm debiti regis majestati honoris significatione, quæ sint illis tradita à te vivendi præcepta. Docerem, tibi, ut par est DEO, cultum ab ipsis esse tribuendum ; supremo tuo Numini obediens & subjectos eos esse oportere ; & quoniam peccatis, ut ceteri mortales, obnoxij sunt, pœnitenti-

tia labores, ut & cæteris mortalibus, illis  
ex officio, subeundos. *Loquebar de testi-*  
*monijs tuis, &c.*

En quæ Joannes olim in Judæâ. Qui-  
bus autem? non imperitæ & simplici  
duntaxat plebeculæ, sed optimatibus,  
sed palatinis hominibus, qui ad ejus  
conciones audiendas & ipsi passim ven-  
titabant; imò his potius quàm alijs,  
utpote qui pœnitentiâ magis indigerent:  
Ut ad Joannem confluebant illi suopte  
nutu, nihil necesse erat ad eos divinis  
præceptis imbuendos, ut relicta eremo,  
in urbem concederet. Nunc quoniâ  
Evangelici præcones coguntur, omisa  
ad tempus solitudine, Regum adire pa-  
latia, ut Aulicos instituant ad pietatem,  
hæc ego, licet virtute valde inferior  
quàm Joannes Baptista, sed ejusdem Nu-  
minis impulsu, vobis annuntianda duxi?  
*Pœnitentiam agite; appropinquavit enim*  
*Regnum caelorum.*

*Matth. 3.*

Est utique in propinquo, Auditores,  
caeleste illud Regnum; quoniâ mag-  
num illud Redemptionis mysterium at-  
tigimus; sed sensu diverso, propius ab-  
est fortasse quàm putatis. Fatalis ille  
vitæ terminus, hora illa ineluctabilis,  
judicium illud formidabile, quod cujus-  
que mortem excipit, sexcentis scripturæ  
locis, cæ Regni caelestis proximitate  
signi-

significatur ; & eo sensu quot inter audi-  
 tores hos meos ; quibus est proximum ?  
 quot inter eos ipsos ; qui se ab eo maxime  
 remotos arbitrantur ? Si nunc mihi DEUS  
 illos sigillatim designaret ; singulosque ex  
 hoc ipso compellans suggestu ; dicerem ; tu,  
 qui aliud agis ; tu ; inquam ; ipse ; conscien-  
 tia tua consulere debes ; cras enim morie-  
 re ; atque hæc est ultima summe patientis DEI  
 admonitio. Si eos ita compellarem &  
 haberent exploratum ; hæc esse mihi  
 cogita divinitus ; nemo ex illis non re-  
 sipisceret continuo ; nemo vincula non  
 abrumperet ; quibus constrictus teneretur ;  
 nemo pœnas non subiret quantumvis  
 graves ; quæ illi pœnitentiæ nomine ;  
 injungi à me possent. Quid ita ? quo-  
 niam cum exploratum esset illis ; su-  
 premam appetere vitæ diem ; reliquum  
 tempus sibi perire nollent. Ah ! quid-  
 ni facitis ; Auditores ; quod hi facturi  
 essent ; & cur ipsi nunc non faciunt ;  
 quod tunc essent facturi ? habemusne  
 qui incertos vitæ casus ; qui fatalem ho-  
 ram præstare valeat ? liquet ne nobis nec  
 spatium ; nec facultatem defuturam ; ad id  
 efficiendum ; & ritè efficiendum ; quod  
 nunc possumus utiliter ; & effectum nolu-  
 mus ? an est qui vobis DEum ; an est vel vos  
 ipsos qui vobis præstet ? annon exempla  
 eorum ; quos mors oppressit inopina ; exem-  
 pla

lâ præsencia, exempla domestica metum  
vobis incutiunt? jamne illa ânimo exci-  
dère? si uni cuiquam datum est, ut resipis-  
ceret in morte, qui quoad vixit, noluit  
ad id ipsum oblatâ uti opportunitate  
temporis; nonne centenos reperias, qui-  
bus, istuc est negatum? & è centenis  
quibus facultas ad pœnitentiâ suppe-  
ditat, nonne vetè à me dicatur, vix u-  
num esse, qui eam ritè peragat? *pœni-  
tentiâ agite.* In eam igitur incumba-  
mus, Auditores Christiani, & citò, &  
sine indulgentiâ; ut illa nos reconciliet  
cum DEO; restituat in gratiam; cælò-  
que tandem asserat, æterna, quam  
vobis adprecor, felicitate  
beandos, Amen.

